

zu 005

O. i. 840 (1-101).

THESES
DE SPONSALI-
BUS ET NVPTIIS EX
VTROQUE IVRE DE-
SVMPTE.

QVAS AVSPICIO DIVINI NVMINIS,
PRAESIDIO CLARISS. AC CONSVLTISS. VIRO-
rum D.Iohannis Michaëlis Cronenburgeri, & D.Iohan-
nis Hollandt, SS. LL. Licent. Dictatoris & Fisci, in cele-
berrimo Iuridicæ facultatis apud Vbios Collegio,
ex antiquo more disputandas proponit,
prid. Cal. Maij. Anno

1592.

IOHANNES PORTMAN. R.



COLONIAE AGRIPPINAE A
EXCVDEBAT PETRVS KESCHIDT.

A Rerum contractibus, eorumque oblig. & act. ad contractus personarum transeamus. (a) Eiusmodi autem sunt Nuptiae quas preparant Sponsalia, qui duo cum communia multa inter se habeant, (b) de ijs coniunctim quaedam, praemissa utriusque definitione, proponam.

(a) Sic Azo C. de Spons. Glof. & V Vef. ff. cod. continuant. (b) Quod thesis 2. & generalis illa inscriptio Decretalium libro 4. praefixa innuunt.

THESIS I.

Sponsalia proprie sunt inter legitimas personas de futuris nuptijs habita mentio & re promissio. (a) Fiunt igitur ob Nuptias, (b) quas cum Iustiano (c) definitio coniunctionem viri & mulieris (d) indiuiduam vitae consuetud. continentem. (e)

(a) l. 1. ff. de Spons. c. nostrates 30. q. 5. sic appellata a spondendo, quod veteres stipulari & spondere sibi vxores futuras solerent, l. 2. ff. d. t. Alciat. in l. sponsio 7. ff. de V. S. vel ex eo quod mutua quaedam corporum traditio (de qua 1. Cor. 7.) per ea spondeatur, refert Nicol. Mozz in trac. de spons. col. 2. & de nup. ead. col. nu. 2. quae posterior notatio etiam Sponsalibus de praesenti, nihil ab ipsis nuptijs differentibus, competit, de quibus Panor. in c. pen. ext. h. t. Cost. in l. 1. ff. de Sp. ibidem Gothofred. Schneid. in Inst. de N. par. 1. nu. 3. 4. 15. & deinceps. (b) l. si puellae ff. de Sp. l. si vxor § diui. ff. Ad l. Iul. de adult. ver. sp. (c) in §. 1. Inst. de patr. pot. vbi Mynsing. & reliqui interpretes. (d) non enim polygamia est, nec ab initio fuit licita, §. affinitatis. cum seq. Inst. de N. l. 2. C. de Incest. l. 7. C. de Iudae. Nouel. 89. c. 12. §. 5. Gen. 2. Mathae. 19. quanquam etiam in populo Dei exempla contraria inueniantur. Gen. 29. 1. Sam. 1. & 25. 2. Sam. 3. & 12. 1. Reg. 11. 2. Paral. 11 & 13. Idem de Concubitu iudico, vid. V Vef. ff. de Concub. (e) extat ead. def. 27. q. 2. 29. q. 1. in princ. c. illud. de Praesump. concordat l. 1. ff. de Rit. nup. nomen sortitae sunt a nubendi ritu, c. nec illud 30. q. 5. de quo Ger. 24. & 1. Cor. 11.

II.

Contrahere tam Sp. quam Nup. (a) possunt quicumque iure non inueniuntur prohibiti, (b) utrobique consensu iusto, (c) qui negotium totum conficit, (d) interueniente.

(a) l. tutor. cum seq. ff. de Sp. l. si quis 60. §. quamuis ff. de R. N. c. cum quid prohibetur, de R. I. in 6. vbi Dyn. (b) iuxta reg. lab. ea. ff. de probat. tex. in c. cum apud 23. h. tit. facit ad hoc l. mutus §. 1. ff. de Procur. l. 1. §. 1. ff. de Testib. (c) l. sponsalia 11. ff. de Sp. l. nuptiae ff. de R. N. No. 22 §. nuptias. vid. thes. 15. (d) l. sufficit. ff. de Sp. l. 30. ff. de R. I. vbi Dec. c. matrimonium, cum seq. 27. q. 2. c. tuæ, h. t. cum infinitis alijs. Cuiac. in par. C. de N.

III.

Ex prohibitis autem personis permixtae intelligenda veniunt. (a) Cuiusmodi imprimis sunt septennio minores, (b) qui tamen hanc aetatem egressi sponsalia quidem, (c) sed non nuptias nisi puberes (d) facti contrahunt. Et quanquam pubertatis tempus cum 13. vel 15. anno initium plerumque sumat: (e) tamen si quis ante hoc tempus ad matrimonium prope-ret aptusque sit, (quod Iustina. (f) non credit) in eo naturalem potentiam, quemad. alias malitiam, (g) aetatem supplere canones putant. (h)

(a) arg. §. 1. Inst. de His qui sunt sui. & §. 1. de tutel. (b) 30. q. 2. in prin. cum c. seq. c. vbi no. c. accessit

e. accessit, e. ad dissoluendum, de D. sp. impub. hi enim infantes sunt, l. si infanti, C. de Iur. delib. l. 1. §. 2. ff. de Ad. & peric. tut. & quid agant non intelligunt, l. 14. ff. de Sp. (c) d. l. 14. l. quæsitum, eo. tit. c. sponsalia 30. q. 2. c. literas, cum seq. de Desp. imp. (d) Inst. de N. l. pen. ff. Quando dies leg. (e) l. vlt. C. Quando tut. vel cur. l. mulierem, ff. de R. N. c. continebatur c. attestaciones. de Desp. imp. c. pueris. de Delic. pueror. (f) No. 100. §. generaliter, (g) l. 2. & 3. C. Si min. se maio. d. c. pueris. (h) c. puberes. d. c. continebatur, §. si autem, c. à nobis. cum seq. c. fin. de Desp. imp. refert gl. exemplum 20. q. 1. Simile de Salomo. rege commemorat.

III.

Prohibentur deinde furiosi & dementes, (a) ob animi vitium, (b) quibus addo ob eandem rationem ebrios, (c) siue enim furore correpta mens siue vino sepulta sit, a quæ ad cõsentiendum inhabilis est. Quin autem mutus & surdus existens, (d) nisi simul cæcus sit, (e) contrahere possit, extra controuersiam est.

(a) l. furor. ff. de Sp. l. oratione §. vlt. ff. de R. N. c. neque furiosus 32. q. 7. c. dilectus, h. tit. (b) nesciunt enim quid agant, c. aliquos 15. q. 1. (c) sane, modo d. cau. & quæst. gloss. in c. vnusquisque 22. q. 4. Tyraq. de pœn. mitig. cau. 6. nu. 8. Couar. de spons. c. 2. nu. 10. Socin. consil. 47. lib. 3. & alij quos allegat. V. V. de R. N. num. 8. Kling. de caus. matr. tit. de erro. qual. Beust. trac. de spons. quæst. 11. (d) l. mutus, ff. de Iur. dot. c. cum apud, & c. tuæ h. tit. (e) vt vult Angel. de Clauas. in summa, verb. matrim. 3. imped. vlt. secutus Panor. in d. c. cum apud.

V.

Item prohibentur qui quæue ob corporis aliquod vitium siue naturale, (a) siue accidentale, (b) modò id perpetuum appareat, (c) ad sobolis procreationem seu debiti redditionem impotentes sunt. (d) Quod verum est, nisi quis scienter cum eiusmodi persona contraxerit. (e)

(a) marium, vt in l. in caussis, C. de Repud. c. quod sedem, de Frigid. & maleficiat. feminarum, vt in l. quæritur, 17. §. mulierem, ff. de Aedil. edic. c. ex literis. cum seq. d. t. (b) quale est in castratis, οἱ εὐνεχίδισσα ἀπὸ τῶ ἀνδρώπων, Matth. 19. No. Leon. 60. nam & casti nati sic dicuntur, Myns. in §. sed illud. Inst. de Adopt. vid. Alciat. in l. spadonum, 128. ff. de V. S. fascino læsis. c. si per fortiaras, 33. q. 1. & similibus, casu aliquo naturæ mutilationem passis. Goth. in d. l. 128. (c) glo. in princ. modò d. cau. & quæst. Clauas. d. lo. imped. 16. nu. 2. tēporalis enim infirmitas non obest. (d) dd. locis & t. t. de Frig. & mal. (e) c. consultationi. cum seq. §. quòd si. d. tit.

VI.

Quando verò nihil suspicionis initio de eiusmodi vitio fuisset, & post ilico querela oriatur, (a) tum si probatione debita eius perpetuitas manifestari queat, matrimoniū nullum declarabitur; (b) sin minus, triennium ad cohabitandum experiendumq; dabitur, quo frustra elapso, potenti noua nuptia conceduntur, quæ impotenti denegantur. (c)

(a) Karò enim qui h. t. mores suos inuicē tolerant inueniuntur, Beust. de matr. quæst. 14. vbi exempl. de vidua virgine vndecim annos marito commorata adducit (b) arg. c. si ycrò 10. No. 22. (c) textus cum glos. satis aperti in c. 1. §. 6. 7. de Frig. & mal. quos crassius deinde Hostiens. & alij in Sum. suis explanant, adde l. in caussis, cum auth. seq. C. de Repud. Plenè hæc omnia, & quomodo probatio h. t. fiat, Panor. per to. hunc tit. tractat.

VII.

Ex prædictis colligitur, neque senium neque sterilitatem impedimentum contrahendi creare,

creare, (a) nam seni subijciendam iuuentulam prouerb. (b) monet, & experientia approbat. An autem in agone mortis constitutus matr. rectè contrahit? id enim plerumq; fieri videmus ab ijs qui concubinas habuerunt, ex quibus liberi supersunt. (c) Et id rectè fieri puto, ita vt liberi isti per hoc legitimentur. (d)

(a) thes. duab. præced. est que expressi iuris in l. sancimus 27. C. de N. l. si maior. C. de legit. hæred. c. nuptiarum 27. q. 1. vbi gl. (b) ex 1. Reg. 1. vt apparet, ortum. (c) vt in l. cum quis & seq. C. de Nat. lib. vbi Dd. (d) Panor. in c. quoniam, de Coniug. leprof. num. 4. Angel. & alij in §. fin. Inst. de N. l. as. in l. sed est quæsitum, ff. de lib. & posth. Canonistæ in c. tanta. Qui filij sint leg. est que communis opinio. vid. Mozz. & quos ille allegat, de matr. col. 1. num. 18.

VIII.

Cognationis quoq; & affinitatis veneratione à quarundam nuptijs abstinere iubemur. Et quidem tam huius (a) quàm illius (b) tria genera traduntur: de vtriusque primogenere, ex quacunque origine (c) descendente, regula duæ tenenda sunt: per 1. omnes in recta linea existentes in infinitum (d) prohibentur. (e)

(a) c. pen. de Conf. & aff. vbi gl. & Pan. nu. 6. quorum 2. & 3. prohibitionem non habet. d. c. pen. habuerunt tamen, c. de propinquis, & c. vlt. 35. q. 3. (b) scil. naturalis, t. t. de Conf. & aff. legalis, t. t. de Cog. leg. spiritualis, t. t. ex. & in 6. de Cog. spir. cuius particula tantum in legibus inuenitur, vnde ortam eam existimat VVes. de R. N. nu. 4. (c) legit. vel illegitima, l. & nihil §. 4. l. 14. §. 2. & 3. ff. de R. N. l. liberi C. de N. c. discretionem, vbi gl. & Panor. in ver. sed nec affinitas, de Eo qui cog. conf. yx. Ioan. And. in arb. aff. quod Goffred. in affinitate negat, sicut nec illud attendimus ex vno an vtroque parente cognatio procedat, §. inter Inst. de N. (d) §. ergo Inst. d. t. l. nuptiæ, §. 3. l. vlt. ff. de R. N. l. nemini, C. de N. §. affinitatis. Inst. eo. c. 1. de Conf. & aff. c. æqualiter 35. q. 3. contra Goff. & Clauas. Concordat cum priore ius diuin. Gen. 2. ver. relinquet. Matt. 19. Porro de eius iuris in hac linea prohibitione præter tex. Leuit. 18. & 20. vid. Deut. 22. in fin. Genes. 38. 49. 2. Sam. 16. 1. Cor. 5. (e) ratio reg. quia sibi inuicem parentum liberorumque loco sunt, quod genus & in cog. legali, licet adoptio finita sit, locum habet, l. quinetiam §. d. l. 14. ff. de R. N. d. §. ergo. gl. in c. vn. de Cog. legal.

IX.

In collateralibus, vbi alteri reg. locus est, aliud iuri civili aliud cano. placuit, nam præter diuersitatem computationis (a) graduum, quam illud ius non admodum hic requirit, (b) constat pauciores personas legibus, (c) vt & iure diuino, (d) quàm canonibus prohiberi: secundum quos tamen prohibitio copula coniugalis intra 4. conf. & aff. gradū (e) subsistere debet. (f)

(a) ex tit. ff. de Grad. & aff. cum 35. q. 5. collato apparentem, cuius ratio in c. ad sedem. d. lo. traditur. (b) vid. t. t. Inst. de N. & VVes. in §. fratris. eo. l. iurisconsultus, in pr. ff. d. tit. (c) quas ex Inst. d. t. l. nemini, C. eo. l. 5. pen. & vlt. C. de Incest. cæterisque similibus collegit Vult. I. R. lib. 1. c. 18. fol. 105 & c. 19. fol. 115. (d) d. c. 18. & 20. Leuit. 2. Sam. 13. Mar. 6. imò nonnunquam & fratris relictam hoc iure ducere fas erat, Deut. 25. Gen. 38. Ruth. 4. Matt. 22. consobrinam autem & illo licet, §. duorum. Inst. de N. l. celebrandis, C. eo. l. 3. ff. de R. N. l. 2. C. de Inst. & subst. Gen. 29. Ios. 15. (e) quæ antè vsq; ad 7. procedebat, 35. q. 2. & 3. per tot. c. quòd dilectio. de Conf. & aff. (f) c. non debet, d. t. gl. in l. nemini, C. de N.

X.

Qui extra hos gradus sunt, à coniunctione matrimoniali non excluduntur, adè vt §.

gradu à stipite existens cū alia 1. tantum gradu ab eod. stip. distante recte contrahat: (a) imò & intra eos constituti, maximè 3. & 4. gradu, (b) per dispensationem, vt vocant, admitti possunt. (c)

(a) per reg. quoto gradu remotior &c. c. fin. vbi gl. negat Hostiens. de quo Clauas. d. lo. imp. 6. nu. 2. & plenius Io. And. in expl. arb. consang. (b) Pan. in c. quod dilectio. nu. vlt. in fin. de Conf. & aff. qui vt reliqui tanto accuratius obseruentur additi videntur, Schneid. in rub. Inst. de N. de arb. aff. nu. 22. (c) Beust. de matr. quæst. 56. qui allegat Paris. consil. 68. nu. 199. vol. 3. Oldrad. in cons. matr. consil. 1. nu. 5 Specula. in tit. de dispens. lib. 1. vers. nunc breuiter. & alios.

XI.

Ex eo autem quod prohibitionem in 2. & 3. aff. genere cessare dixi, (a) apparet, quæ ad. defunctæ coniugis fratris viduam habere licet, ita & priuigni relictam ducere vitri- cum posse: (b) cuius contrarium defendam. (c)

(a) sub thes. 8 vid. V Vef. in par. de Grad. & aff. num. 17. (b) sunt enim æquè in 2. genere quod mediante duabus personis contrahitur, gl. in d. c. pen. de Conf. & aff. (c) per tex. l. 15. ff. de R. N. vbi Goth. Schneid. d. loc. nu. 14.

XII.

Porro pater & filius filiæve cum matre filia filiõve, frater & soror cum sorore & fra- tre, item duo fratres, patres, matres cum duabus sororibus, filiabus, filijs, & ita deinceps recte contrahunt, nulla affinitate impediti. (a) Sic nec patris fratris aliorumq. consanguineorum sponsam ducere affinitas aliqua prohibet; (b) sed tamen publicæ honestatis ratio- ne (c) rectius ab eius nuptijs abstinetur. (d)

(a) c. quod super, de Conf. & aff. l. generali, §. inter ff. de R. N. l. Titia 134. ff. de V. O. §. mariti Inst. de N. l. Iuricons. §. tertio gradu, ff. de Grad. & aff. (b) quæ ex sponsal. non con- trahitur, l. 4. §. 3. & §. 8. d. t. de Grad. l. 6. §. 1. eod. (c) quæ plurimum hic attenditur, l. semper l. 14. §. 2. ff. de R. N. l. 44. l. 197. ff. de R. L. (d) §. si vxor. Inst. de N. l. si qua. §. 1. & 2. d. l. 14. in fi. ff. de R. N. c. sponsam, c. ad audientiam h. t. c. accessit, cum seq. de Desp. imp. Ad quem gra- dum h. t. abstinendum sit, tradit Mozz. de matr. col. vlt. nu. 37.

XIII.

Prohibentur prater ea fideles cum infidelibus id est, Christiani cum Iudeis, Turcis & similibus matr. (a) contrahere, (b) aded vt ne publicam (c) quidem Christianam ducere Iudeo liceat, (d) quam fidelis aliquis assumere non permittitur tantum, (e) verum etiã ab Vrba. Pontif. imitatur. (f)

(a) non tamen sponsalia sub cond. si conuertatur, c. non oportet 28. q. 1. (b) l. ne quis Christianam, C. de Iudæ c. omnes. in fi. cum 2. seqq. c. sic enim, §. tu verò, vbi ratio additur 28. q. 1. item 31 q. 2. in prin. concordat ius diuinum Ex. 23. Deut. 7. Ios. 6. Gen. 6. 1. Reg. II. Etd. 9. V Vef. de R. N. in fin. (c) palàm quæstum facientem, l. palàm 43. ff. de R. N. (d) Goth. in d. l. ne quis. post Couar. & Gomef quos allegat. (e) c. integritas, §. sed obijcitur, cū seq. 32. q. 1. (f) c. inter opera charitatis 20. h. t. quod cum gl. de resipiscate intelligo.

XIV.

Prohibitiones illæ ciuiles, quibus ciues Romani cum seruis & peregrinis, raptor cum rapta, præses cum prouinciali, amplissimus cum humili, senatorius cum liberta, patrona cum liberto, tutor curatõrve cum ijs quibus præsumt, & si quæ sunt similes, (a) matr. con- trahere

trahere vetantur, no. & can. iure non admodum considerantur. (b)

(a) de quibus omnibus ex multis tt. & ll collectis, Vult. I. R. lib. I. c. 18. à fol. 106. vsque ad fol. 109. tradit. (b) V Vef. de R. N. nu. 4. Panor. in c. fin. de Secund. nup. & alibi.

XV.

CONSENSVS quem non prohibita persona (a) in contrahendo adhibent, (b) liber esse debet, (c) non vi metiue (d) qui in constantem virum vel feminam cadere possit, (e) extortus: aded vt nec reuerentialem, (f) si facti minarumq; metus interueniat, (g) excipiam, nec iuramentum appositum attendam. (h)

(a) quæ magna parte ex supra dictis intelliguntur. (b) vid thes. 2. (c) l. neque ab initio. C. de N. (d) c. cum locum, & seq. c. consultationi h. t. (e) gl. in d. c. cum locum. & in c. cum dilectus. de his quæ vi. (f) qui aliàs matrimonio non obest, Pan. in c. veniens h. tit. & in c. ex literis nu. 3. tit. seq. tex. in l. si patre, ff. de R. N. (g) l. non cogitur, l. inuitam, d. t. l. nec filium. C. de N. l. 13. ff. de sp. inuitæ enim nuptiæ difficiles exitus habere solent, 31. q. 2. in prin. (h) c. significauit, de Eo qui dux, in ma. quam poll. c. pen. h. t. c. Abbas, vbi glo. de His quæ vi. c. non est oblig. de R. I. in 6.

XVI.

Quinimò licet quis causam metui per quem promittit dederit, vt si quis apud filiam suspecto loco repertus à patre in N. eius consentire cogatur, (a) non tamen obligari eum existimo: nisi per subseq. aliquem actum, (b) aut ratificationem, (c) metus precedens purgetur.

(a) c. veniens, 15. vbi gl. & Pan. nu. vlt. h. t. gl. ad prin. 31. q. 2. Beust de matr. quæst. 44. (b) putà per copulam carnalem, c. consultationi, vbi gl. & Pan. nu. 7. h. t. vel spontaneam cohabitationem c. ad id. vbi gl. & Pan. nu. 2. & 4. eo. (c) argum. l. cum te. C. de His quæ vi. cessante sc. iam causâ metus, Gail. lib. 2. obs. 93. nu. 30.

XVII.

Non autem vt metu extortus, sic etiam dolo inductus consensus matr. nullū reddit, (a) nam si quis te vt cognatam suam ducas heredem se facturum, quod postea non fecit, promiserit, aut rugosa aliqua Venus falsa defossorum aureorum persuasione tibi matrimonij consensum elicuerit, (b) neutro c. à subsecuto contractu resilire licebit. (c)

(a) gl. in c. constituit 20. q. 3. vbi id miratur, & in c. cum dilectus. de His quæ vi. gl. in l. à diuo Pio, ff. de R. N. V Vef. d. t. nu. 8. Ias. in §. actionum nu. 37. Clauas. d. lo. imp. 4. num. 2. (b) Gail. 2. obs. 93. num. 11. (c) cum hic dolus non sit contra essentialia matrimonij, quod animorum coniunctione non bonorum accessione contrahitur, l. iubemus, C. de Repud. l. 3. in prin. ff. de Don. int. vir. Idem, si quis nobilitatem quam non habebat iactauerit.

XVIII.

Hinc iam patet, licet error communiter consensum excludat, (a) nec matr. ex errore persona, (b) conditionisve eius (c) contractum subsistat: (d) tamen in bonorum, dignitatis, pulchritudinis & similibus qualitatibus errore secus esse, cum hæ tantum pro ingulsiis matrimonij causis habeantur, (e) quibus deficientibus non deficere actum pro regula traditur. (f)

(a) l. si per erro. ff. de Iurisd. omn. iud. l. non idcirco, l. cum testam. C. de Iur. & fac. ign. (b) vt si quæ putet se contrahere cum primogenito qui non sit, quod tamen non sine distinct. intelligo. Clauas. d. lo. imp. 4. nu. 3. (c) vt in cas. c. proposuit, vbi gl. de Coniug. ser. uo.

uo. (d) c. vn. 29 q. 1. Mozz. in expl. def. matr. nu. 3. Pan. in d. e. propofuit. num. 5. (e) VVef. de R. N. nu. 8. (f) gl. in l. 1. §. 5. ver. origo, ff. de postul. Goth. in l. si mulier, C. de iur. dot.

XIX.

His arduam hanc & tristem questionem subijcio, an qui cum vitiata ab alio ignorans ^{Ab hoc casu si}
contrahit, re postea comperta stare promissis eamq; in vxorem retinere cogendus sit? Cuius ^{modata fuerit dote}
affirmatiua de iure canonum (a) verior est. (b) ^{sed si adulterium committat post contracta Sp.}

(a) d. c. vn. in fi. Contrarium ex Deut. 22. & No. Leon. 93. apparet, vid. præterea Schne. in fin. par. 4. Inst. de N. Beust. & quos ille allegat de matr. quæst. 34. (b) Quam multis rationibus tuctur VVef. d. nu. 8. ver. sed et si cum quo sentio, ita tamen vt ex personarum & rerum complexu res temperetur, vid. eundem ad Schne. d. lo.

XX.

Porro eiusmodi liber consensus quanquam per se sufficit ad contrahendum Sp. vel N. ita vt nec illic arrhâ, (a) nec hic dote, (b) concubitu, (c) deductione in domum mariti, (d) pompâ, (e) alijsq; celebritatibus antiquis (f) opus sit, neutriusque etiam stipulatio vel scriptura vlla requiratur, (g) sed & inter absentes vt erque ineatur, vt per procuratorem, nuntium, epistolam: (h) tamen vt constet an & quomodo, in præsens an futurum, (i) pure an sub conditione, (k) consensum sit, verba simul requiro. (l)

(a) l. sufficit, ff. de sp. quæ tamen plerumque à sponso sponsæ dabantur, l. arrhis, l. mulier, C. de sp. cum tit. seq. erantque annuli, c. nostrates, c. femina 30. q. 5. vel aliæ res. (b) l. vlt. C. de Don. an. nup. l. iubemus, C. de Repud. No. 22. c. 18. c. si quis diuinis, 30. q. 5. (c) l. nuptias, ff. de R. I. vbi Dec. l. cui fuerit, ff. de Cond. & demon. l. 8. C. de Incest. c. matrimo. 27. q. 2. (d) c. 3. & vlt. de Spons. duor. Goth. in d. l. nup. & d. l. cui fu. Costal in d. l. ff. de sp. & l. 5. ff. de Don. int. vir. Gail. Mozz. & alij. (e) l. si donat. 22. C. de N. (f) VVef. de R. N. nu. 6 vbi alia hodie vtitata solennia vide, adde Goth. in No. Leon. Ne mat. sine sacra bened. (g) l. 2. 4. 7. & vlt. de Sp. l. 9. 13. 22. 23. C. de N. (h) d. l. 4. & vlt. l. mulierem, cum seq. ff. de R. N. c. veniens. Qui cler. vel vo. gl. in c. nec illud 30. q. 5. in c. honorantur 32. q. 2. Gen. 24. (i) c. pen. h. t. (k) Mozz. de diuis. spons. nu. 13. de diuis. matr. nu. 9. & 10. (l) quæ ad id vt in alterius notitiam cogitationes nostras proferamus inuenta sunt, c. is autem 32. q. 2.

XXI.

Præter verba tamen nonnunquam & personar. rerumq; circumstantias considerare utile erit. (a) Quid enim si impubes cum aliqua de præsentibus contrahat? sanè iuris interpretatione de futuro contraxisse dicitur. (b) Imò etiam sine verbis sola quandoque signa sufficiunt, nam ea idem in mutis quod verba in loquentibus operantur, (c) & si quis ob fidem conjugalem munus puellæ offerat, quod illa tacens acceptet, in eand. in quam datum est causam id accepisse censetur. (d)

(a) VVef. in par. de Sp. nu. 3. (b) c. vn. §. 1. de Desp. imp. in 6. (c) c. cum apud, c. tuæ, d. t. l. vbi non voce, ff. de R. I. (d) VVef. de spons. nu. 6. gl. in c. fin. de Desp. imp. & in c. tuæ. vtroque bique Pan. item glo. in c. pen. h. t. vbi præ verecundia quasdam annuere potius quam loqui asserit.

XXII.

Vbi autem conditiones appositæ sunt, eaq; turpes, (a) vel impossibiles, fauore matr. pro non adiectis habentur, nisi contra substantiam (b) eius inueniantur, q. c. illud impediunt & vitiant: sin honestæ & possibiles, valent & contractum quamdiu non existunt
suspen-

suspendunt, sed à concubitu interim abstinendum est. (c)

(a) vt si dicas, ducam te Si virg te inuenero, si grauida ex me facta fueris, si dotem furtō comparaueris, (b) veluti, eris vxor mea Si generat. prolis cuites, si pro quæstu te adulterandam dederis, donec inueniam meliorem, &c. (c) vid. de his omnibus t. t. de Condit. ap. po. additâ gl. Clauas. d. lo. imp. 3. Schneid. Inst. de N. par. 1. nu. 32. & deinceps. Mozz. de diuis. matr. à nu. 9. vsque ad fin.

XXIII.

De parentum consensu dicendum restat. Et quidem de iure ciuili constat, patris non furiosi, (a) non captiui vel diutius absentis, (b) nō iniuriā nuptias prohibentis aut querere negligentis, (c) aliorumq̄, quorum contrahentes in potestate sunt (d) consensum, saltem tacitum, (e) ad eò necessarium esse, vt sine eo nec iustæ nuptiæ, nec legitimi liberi, nec dos vlla intelligatur. (g) Quod in matre, tutore, curatore & propinquis non eod. modo se habet. (f)

(a) Inst. de N. in prin. l. furiosi, C. eo. (b) l. si nepos, §. 1. cum duab. seqq. ff. de R. N. l. 5. §. 4. de iu. dot. (c) l. capite 19. ff. de R. N. No. 115. c. 3. §. 11. (d) l. 2. 3. 9. 16. 18. 35. ff. d. t. l. 2. 7. 12. 20. C. de N. l. vn. C. de Rap. virg. §. 1. secus si ab eis sunt emancipati, l. filius 25. vbi glo. ff. de R. N. l. viduæ, C. de N. (e) l. 7. ff. de Sp. l. 5. C. de N. qui & in filia cuius nomine pater contrahit sufficit, l. sed quæ ff. de Sp. (f) §. si aduersus, Inst. de N. & ibi V. Ves. (g) vid. V. Ves. de R. N. nu. 3. & 8.

XXIV.

Hodie verò vtriusque parentis consensum indifferenter exigimus, (a) quod diuino (b) & canonico iuri (c) concordat. Et quanquam hoc iure minus ille necessarius dicatur, (d) tamen si spreto eo filia indignas nuptias contraxerit, saltem dote eam priuari posse existimo. (d)

(a) naturâ enim vtrique parem reuerentiam debemus, l. 2. ff. de Ius. & iur. l. parentes, ff. de In ius voc. l. furiosæ, ff. de Cur. fur. (b) Exod. 20. Deut. 5. Gen. 24. 27 in fin. & 1. 8. lud. 14. (c) c. aliter, 30. q. 5. c. honorantur, c. fin. 32. q. 2 (d) passim à gloss. & Canonistis, per c. pen. de Rapt. cōtra quos Oldend. Coras. Balduin. & alij grauissimi viri disputant. (e) Gail. 2. obs. 95.

XXV.

Institutum præcipuè matr. est, vt soboles (a) ad reip. (b) & eccles. (c) conseruationem amplificationemq̄ procreetur: (d) vt vaga confusaq̄ libidines euitentur: (e) vt demum homo & laborum suorum auxilium, (f) & ærumnarum solatium (g) habeat. Hos 3. fines non coniunctim requiri, sed singulos contrahentibus sufficere Corollarij vice adiçio.

(a) Gen. 2. v. crescite l. 220 ff. de V. S. (b) l. 1. ff. sol. matr. l. 2. C. de ind. vid. (c) Ezech. 23. Tob. 8. Pla. 6. de leg. (d) No. 22. in prin. (e) 1. Cor. 7. c. nuptiarum 27. q. 1. c. sicut non omnis 32. q. 2 (f) Genes. d. c. ver. non est bon. l. lege 14. in princ. C. de legit. hæ. (g) Eccles. 4. d. c. nuptiar.

153255

AB: 153255

(X2203998)


K





De legibus S. Teutonicarum





B.I.G.

Farbkarte #13



THESES
DE SPONSALI-
VS ET NVPTIIS EX
VTROQVE IVRE DE-
SVMPTE.

AS AVSPICIO DIVINI NVMINIS,
SIDIO CLARISS. AC CONSVLTISS. VIRO
D. Iohannis Michaëlis Cronenburgeri, & D. Iohan-
ollandt, SS. LL. Licent. Dictatoris & Fiscii, in cele-
rimo Iuridicæ facultatis apud Vbios Collegio,
ex antiquo more disputandas proponit,
prid. Cal. Maij. Anno
1592.

HANNES PORTMAN. R.



COLONIAE AGRIPPINAE
EXCVDEBAT PETRVS KESCHIDT. A



59

